





I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO JVRIDICA<sup>16</sup>

D E

PERSONIS  
FEVDI CA.<sup>171912</sup>  
PACIBVS,

von

Lebens - fähigen Personen /

QVAM

ADIVVANTE DIVINO NVMINE

(10)

P R A E S I D E

JOHANNE HENRICO  
BOECLERO,

Vtriusque Juris Doctore,

& Juris Publici Profesore,

SOLENNITER defendet

<sup>Dicitur. Et. Ceterum.</sup> ANNO M DCC XIX.

ANTONIVS SIGFRID  
DE BERNHOLD, Eques Alsatus.

---

ARGENTORATI,  
LITERIS JOHANNIS PASTORIL.

ANTONIUS SIGERID  
BERNOLDI Poetæ Apliciæ  
HISTORIAE TUDIORUM  
SOCIETATIS BYZANTINAE  
SIGERIDI  
BECGELERO  
JOHANNES HETRICO  
ALBERTUS  
AQUAVITÆ DIVISIO HISTORIE  
PAGIBAS  
EBIDI CA.  
PERSONIS  
DISSESTITATIO IARIDICAY  
XMDXXV

REGIÆ  
SVÆ CELSITVDINI  
SERENISSIMAE PRINCIPI  
AC DOMINÆ,  
DOMINÆ  
CAROLÆ ELISABETHÆ,  
DVCI  
PALATINO-BAVARÆ,  
REGIÆ  
SVÆ CELSITVDINIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS  
AC DOMINI,  
DOMINI  
PHILIPPI,  
LUDOVICI MAGNI  
FRATRIS QVONDAM  
VNICI,  
DVCIS AVRELIANENSIS, VALESI-  
ENSIS, CARNVTENSIS ET NE-  
MVRCENSIS  
VIDVÆ,  
PRINCIPI AC DOMINÆ MEÆ  
CLEMENTISSIMÆ.

REFGE  
SAE CERISITADINI  
GEREVANIA MERICIP  
AC DOMINA AE  
DOMINI E  
DAGI  
VALATINO-DAVARAE  
REFGE  
SAE CERISITADINI  
GEREVANIA MERICIP  
AC DOMINA  
DOMINI  
PHILIPPI  
LADOGICIMAGNI  
FRATRIS QONDAM  
UNICEL  
DAGS VARIENTINIS AVERES  
LINSIS CARNATENSIS AVERES  
MARCENIS  
VTDVAE  
PRINCIPI AC DOMINA MRE  
OEWENDZI

• 6 ) o ( 56  
**SERENISSIMA  
PRINCEPS,**

**DOMINA CLEMENTISSIMA,**

Vod si non **TIBI, SE-**  
**RENISSIMA PRINCEPS,**  
sed alij in excelsô fa-  
stigio positæ fœminæ literariorum  
**A 3                    hoc-**

hoc opusculum consecrare, pertimescendum mihi merito foret, ne gravem multorum reprehensionem incurrerem. Indecorum enim censeretur, verba facere velle de iis rebus, à quibus muliebris sexus alienus plerunque esse videtur. Nunc vero cum eo honore mihi frui contingat, ut ad REGIÆ TVÆ CELSITVDINIS pedes libellum huncce deponere liceat, tantum abest, ut malignum ulius hominis de me judicium verear,

¶ A

verear, ut potius non aliunde  
me majorem gloriam nancisci  
posse autumem, quam quod  
Augusto Nominis Tuo differ-  
tationem hanc inscribere susti-  
nuerim. Tantæ enim, Do-  
MINA, in TE sunt animi virtu-  
tes, ut ob raram, qua polles,  
sapientiam, principem inter  
Principes fœminas locum jure  
meritoque teneas, & præterea  
adeo arcta necessitudine cum  
Musis conjungeris, ut cum à li-  
teratissimo Principe, cuius sum-  
mam

• ) o ( •  
mam prudentiam & olim mi-  
rata est , & in omne ævum mi-  
rabitur Germania , fueris pro-  
genita , non minus tamen bea-  
tam se Gallia sentiat , quod al-  
terum Herculem Musagetam ,  
**SERENISSIMVM** nempe **FILIVM**  
**TVV M**, è sinu Tvo acceperit.  
Ibit in secula fama munificen-  
tiæ, quam **POTENTISSIMUS**  
**MONARCHA NOSTER**,  
procurante **AVGVSTO** Galliarum  
**RECTOR E**, haud ita pridem  
Vniversitati Parisiensi largissima  
manu

manu exhibuit. Non solum  
celeberrimam istam Academi-  
am recreavit immensa illa be-  
nignitas, penetravit gaudium  
ad omnes omnino, qui literis  
vel favent, vel incumbunt, &  
non Galliæ tantum, sed toti  
Orbi de futura felicitate gratu-  
lantur, dum a MAXIMO in  
terris REGE, jam in tenera æta-  
te, non tam eruditos, quam  
eruditionem ipsam amari at-  
que foveri observant. De cæ-  
tero, SERENISSIMA PRINCEPS,  
præter publicas, quas comme-  
moravi causas, peculiares mihi,

B

atque

atque domesticæ rationes super-  
funt , quæ me impulere , ut al-  
loqui T E , prima occasione da-  
ta, auderem. Tanta enim bene-  
ficiencia hactenus REGIA TVA  
CELSITVDO qualem cunque fa-  
miliam meam beavit , ut diu-  
tius in turpi silentio manere in-  
tolerandum plane mihi fuerit  
visum. Patere itaque , DO-  
MINA , ut non quidem magni-  
fica verborum pompa , quæ  
nunquam ad magnitudinem be-  
neficiorum TVORVM attolli  
potest , sed simplicissimo po-  
tius sermone infinitas TIBI gra-  
tias

sup

tias agam pro singulari , qua nos  
semper prosecuta es , clementia.  
Protege porro , SERENISSIMA  
PRINCEPS , atque tuere , quos  
ob nulla equidem merita , sed ex  
innata tantum bonitate , non in-  
dignos patrocinio Tvo judica-  
sti. Persuasissimum enim esse  
CELSITVDINI TVÆ REGIÆ ve-  
lim , quod , quamvis magnus  
quotidie adsit in Aula Regia nu-  
merus eorum , qui TIBI , SERE-  
NISSIMA PRINCEPS , scitius lon-  
ge , atque elegantius , quam ego ,  
obsequia sua testantur , eo ta-  
men semper sim annisurus , ut

nemo facile inter eos fide & profundissima erga T E veneratione  
me vincat; qui per omnem vi-  
tam manebo

SERENISSIMA PRINCEPS,  
DOMINA MEA CLEMENTISSIMA,  
REGIÆ TVÆ CELSITVDINIS

*Hannilimus devotissimusque  
Servus*

ANTONIUS SIGFRID de BERNHOLD.



I. N. D. N. J. C.

## PROOEMIUM.

**D**Urisprudentiam Feudalem referendam esse merito inter scientias scitu summopere necessarias, praeципue ratione Iuris Publici Rom. Germanici, nemo est qui ignoret. Sane enim cum plerique Germanie Principes beneficiario sive feudali vinculo cum Capite suo, sive Imperatore connectantur, quis est qui sibi felicem in discernendo regni istius schemate, vel diadicandis illustrissimis controversiis, progressum promittere audeat? nisi qui accurata & solida rerum feudalium notitia

B 3                  fue-

fuerit imbutus. Evidem vulgus non  
nunquam sibi persuadet, rem non adeo ar-  
duam esse, ut quis eruditionem in Jure feu-  
dali sibi comparet, & credunt adhuc ho-  
die plurimi, levi ac defunctionia opera hoc  
studium posse tractari. Sed illi agnoscent  
aliquando errorem suum, si forte ipsis ma-  
gni momenti negotia demandabuntur: &  
mirabuntur, quantis difficultatibus ista  
pars Jurisprudentiae tam ob nimiam Juris  
Longobardici brevitatem & male constru-  
ctam compagem, quam ob aliarum Legisla-  
tionum multitudinem & diversitatem la-  
boret. Imo quot varijs casus, quam innumere  
questiones in hice materiis oriri queant, ex-  
vastis SCHRADERI, ROENTHALII, alio-  
rumq; operibus satis superq; discere liceret.  
Illud de cetero dolendum est, quod non pa-  
rum negotij facebat primaria illa & pre-  
cipua questio, de qua & inter JCTos non  
convenit, & in praxi quoque summorum  
Imperij Tribunalium acerrime sapius lici-  
gatur, quodnam Jus Feudale, Literis In-  
vesti-

vestitura ad decisionem nihil suppeditantibus, & deficientibus particularibus Provinciarum atque locorum consuetudinibus, (que nimirum, uti in causis Allodialibus, preferri debent,) pro communi haberi debet. Evidem negari non potest, maximam Jutorum partem vim juris communis Compilationi Longobardica adscribere, & quidem nostro iudicio, non immerito: videantur solida rationes quas hanc item allegavit celeberrimus in Universitate Viadrina Professor, & postea in Aula Electorali Brandenburgica Consiliarius Status, Dn. RHETIUS in proemio eruditissimi ad Jus Longobardicum Commentarij p. 10. & seqq. Verumenim vero notum quoque est, quanta autoritas nonnullis aliis antiquis consuetudinum Germanicarum compilationibus Juri nimirum Saxonico, & pricipue Feudali Alemanno, etiam ab iis tribui soleat, qui non ex face literatorum sunt, sed inter reliquos eruditos tantum eminent, quantum lenta solent inter-

inter viburna cupressi. Sane illustris SCHILTERUS, vir alias omni elogio major, de Jure Alemanno non dubitat afferere, illud in Comitiis Imperij ab Ottone IV. esse promulgatum: creditque precedentes Imperatores, ipsumq; etiam Carolum Magnum autores esse constitutionum quae in eo continentur, ita ut omnino justum sit WERLHOFFII judicium, magnificientius, quam alias fieri à multis solet, sentiendum fore de isto jure, si SCHILTERUS omnia quae ad conciliandum ipsi robur adduxit, indubitate argumentis probasset. Sed quanto pere illa vacillent, ostendit modo nominatus celeberrimus WERLHOFFIUS egregio libello, cui titulum dedit speciminis Juris quo in foro Germani utuntur in Proœm. Cap. 2. §. 8. Merentur in primis hic apponi verba illa in quibus de correctione Schilteri, quam Codici Juris Alemanni adhucuit, sequentem in modum differit: Unus ille, utcunque antiquior Codex in illa ipsa, in qua ad probandum adducitur clau-

¶ ( 1 ) ¶

clausula evidenter mendoſus est , etiam  
ipſo Schiltero in Praef. §. 15. imperitia a-  
manuensis nomen Imperatoris omiſſum,  
& in annis exprimendis errorem redar-  
guente. Apponam verba , ut in Schil-  
teriana editione pag. 294. habentur : Die-  
ſe Saſſunge und diſ Recht / als hievor  
geschrieben iſt/ geschach zu Nürnberg in  
dem gebottenen Hofſe / an dem Montag  
nach Sanct Martins tag des Bifchoffs/  
do man zalte von Gottes Geburte tu-  
ſen jor in dem achten jore / des ersten  
jores unsers Riches. quæ Latine ita in-  
terpretatio reddidit: haec leges, & hoc jus,  
quod ſupra scriptum eſt, conſtitutum fuit  
Norimbergæ indieta die Lunæ poſt fe-  
ſtum S. Martini Epifcopi, anno à nativi-  
tate Dei millesimo octavo, primo anno  
Regni noſtri. Incidere annum 1008. in  
tempora Henrici II. Imperatoris, nec pri-  
mum tamen illius annum, ſed septimum  
quo bellis occupatus huic juri promul-  
gando vix vacaverit , Schilterus videns,

C

duo

duo post millenarium secula , tanquam  
amanuensis errore omissa , adjicit , mera , ut  
cuivis appareat , atque audaci profecto  
conjectura , cui fundamentum licet exin-  
de quærat , quod in Comitiis anno 1208.  
habitis Otho IV. Imp. Aug. omnia jura à  
Carolo M. instituta observanda ac tenen-  
da sanxerit , abunde tamen , ne de talibus  
vulgo creditis Carolinis institutis à Con-  
ring. de Orig. Jur. Germ. p. 153. monita  
recoquam , non Noribergæ , sed Franco-  
furti ea Comitia habita , concordi Histo-  
riarum consensu constat. Diserte is , cu-  
jus auctoritate opinionem suam stabilitum  
it , Godefridus Monachus : Anno Domini  
1208. in Festo S. Martini apud Fran-  
ckinvort celeberrimus Conventus Prin-  
cipum fuit : ibi ( de alia urbe , quam Fran-  
cofurto , nihil præmissum , nulla , ubi pri-  
ma Comitia veteri ex more Otho IV. ha-  
buerit , Noribergæ mentio ) Rex primo ,  
deinde cæteri Prihcipes jurant omnia et-  
iam jura à Carolo Magno instituta ob-

servanda &c. Si qualemcumque nostram  
 de Jure isto Feudali Alemannico & Sa-  
 xonicō sententiam subjungere licet, arbi-  
 tramur, non male eos facere, qui statuunt,  
 vim legis hodie observanda nec Saxonico,  
 nec etiam Alemannico tribui debere, in-  
 terim tamen verum esse, quod adhuc hodie  
 in Germania plures consuetudines fonda-  
 les vigeant, qua in dictis Codicibus occur-  
 runt, ita ut ad istarum consuetudinum  
 illustrationem sapius ista compilationes non  
 leve momentum conferant. vid. alleg. moda  
 WERLHOFF. l.c.n.10. Quatamen consuetudi-  
 nes utique bene probanda sunt. Sane enim  
 Ordinatio Judicij Aulici consuetudines,  
 qua allegantur contra Jus Feudale com-  
 mune, per qua verba Jus Longobardicum  
 intelligi videntur, uti supra innuimus, va-  
 lide probari debere sancit & jubet: Verba  
 ita habent tit. V. In relatione causarum  
 feudalium precipue Originales Investitura,  
 & quānam pacta in iis contineantur, bene  
 debent perpendi, & si contra clara Jura  
 nostra

nostra feudalia allegentur, sed non firmi-  
ter probentur consuetudines quædam, ille  
in decisione Causarum Feudalium, præci-  
pue Italicarum, nimis attendi non debent.  
Conferatur WERLHOFFIUS loc. cit. th. 9.  
in quo ostendit cum seculo circiter XV. Sut-  
vicum Jus defloruisse. Et ipse Schilternus  
in Exercitat. ad n. prima th. 13. de Jure  
Saxonico fatetur, quod, cum illa jura tan-  
tum sint jus consuetudinarium atque à  
privatis collectum, quibus, ob vetustatem,  
consuetudine multum sit derogatum, obser-  
vantia ejus merito sit probanda. In no-  
stra Alsatia in causis Feudalibus secun-  
dum Jus Longobardicum pronuntiatur.  
Pertinet huc Edictum Regium in Erectione  
Supremi Tribunalis Ensisheimensis emis-  
sum, in quo illud jubetur judicare secundum  
jura qua antea in Alsatia in usu fuerunt.  
Forte non ingratum erit Lectori breviter  
referre, quid Inclita Halensis Academia re-  
sponderit ad duas questiones ipsi propositas,  
1.) anne nimirum Ipsa in causis feudalibus  
tam

iam consulendo quam judicando , in de-  
fectu consuetudinum particularium secun-  
dum Jus Longobardicum , an vero secun-  
dum Jus Saxonum & Suevicum pro-  
nunciare soleat . 2.) An summa Imperij  
Tribunalia secundum Jus Longobardicum  
Corpori Juris insertum , an vero Alemanni-  
cum & Suevicum à Schiltero & aliis pri-  
vatis editum in controversiis feudalibus ex  
Vicariatu Palatino eo delatis judicare de-  
beant . Exhibit responsum modo nomina-  
te illustris Facultatis super hinc quasio-  
nibus Dn. Ludovici in der Einleitung  
zum Lehren Proceß cap. 13. Quod primam  
questionem attinet , summa responsi (quod  
uti iam innuimus , totum hic proferre no-  
lamus ,) in his verbis consistit : Quemadmo-  
dum Speculo Saxonico & Suevico auctorita-  
tem juris scripti non adscribimus , sed tan-  
tum illud habemus pro testimonio privato  
de consuetudinibus , que ipsis temporibus  
in usu erant , & quemadmodum bene  
agnoscimus , quod in utroque Speculo in

variis politicis, historicis aliisque materiis, multi insignes navi et errores (quales tamen etiam in Jure Longobardico, imo in ipso Jure communi scripto forte ostendi poterunt) reperiantur, ita ad id praeципue attendere solemus, an in re controversa Jus Alemannicum conveniat cum historia illorum temporum, an vero non, et in casu discrepantia rem accuratius examinamus, ubi autem non discrepat, autori juris Alemannici ratione facti fidem habemus, et per consequens consuetudinem Germanicam hoc testimonio corroboratam preferimus consuetudini Longobardica, nisi prior per posteriorem in specie fuerit extincta et abrogata. Alteram questionem quod concernit, ita mentem suam declarant paalaudati fcti: Quoniam hec questio non est decisa claris verbis, et praterea in Constitutionibus Imperij paucis in locis Juris Feudalis nominatim mentio fit, aut si mentio ejusdem fit, id intelligendum est de Constitutione aliqua Imperatoria Juri Lon-

Longobardico inserta, vel de re aliqua in  
qua Germanica & Longobardica consue-  
tudines non discrepant, vel etiam sermo-  
nus de Principe Italo: Et quamvis etiam Jus  
Longobardicum in Recessibus Imperij sub  
nomine juris communis ideo subintelligen-  
dum foret, quia Iuri Justinianeo inser-  
tum, attamen quoniam Iura Cæsarea in  
Germania recepta sunt tantum tanquam  
Ius subsidiarium, & secundum Ordinat.  
Consilij Aulici tit. i. demum in defectu  
Ordinationum & Consuetudinum secun-  
dum Iura Cæsarea pronuntiari debet, per  
consuetudines autem non tantum consue-  
tudines particulares, sed etiam Univer-  
sales Germanie, aut in Vicariatu aliquo  
recepta, intelligenda veniunt, hinc existi-  
mamus, quod summa Imperij Tribunalia  
vi Constitutionum Imperij in Controversiis  
Feudalibus ex Vicariatu Palatino eo de-  
latis, in defectu consuetudinum particula-  
rium, secundum consuetudines communes,  
de quibus Jus Alemannicum testatur, ju-  
dicare

dicare debeant, observata tamen *supra*  
memorata restrictione. Hucusque senten-  
tia Jurisconsultorum Halensium. Sed  
nolumus diutius huic controversia immo-  
rari. Properandum enim est ad scopum.  
Electa est à nobis ad disputandum mate-  
ria non talis, quæ rarum in praxi ha-  
beret usum, sed quæ, quamvis proleta-  
ria esset, de iis tamen rebus ageret, quæ  
quotidie in vita humana occurrunt. Hanc  
ita tractare animus est, ut primo agamus  
de illis personis, quæ feudum de novo ac-  
quirere, deinde de iis quæ in feudum suc-  
cedere possunt. Haec enim materia omni-  
no sunt separanda, quia sunt persona  
quæ feudum quidem novum acquirere, in  
fendo autem antiquo succedere non possunt.  
Delibabimus autem solummodo tantum,  
quantum nobis sufficere videbitur ad in-  
stituendum in solenni Auditorio Colloqui-  
um Juridicum.

PARS I.

## PARS I.

*De Personis quæ feudum de novo acquirere possunt.*

A Ntequam ipsam tractationem de personis feudi capacibus aggrediamur, necessarium esse existimamus, explicare, quid Feudum sit. Videtur autem commodissima illa definitio, quæ communiter affertur, quod feudum sit concessio dominij utilis in re immobili sub lege fidelitatis. In hac ultima, fidelitate nimirum, consistit differentia specifica feudi ab aliis concessionibus dominij utilis v. g. Emphyteusi &c. Quando enim nonnulli addunt legem quoque servitiorum præstandorum, id sane ad essentia feudi non pertinet, sed ad natura-  
lia tantum, (quæ à Logicis vocari solent accidentia inseparabilia,) utpote cum salva feudi essentia abesse possint, uti videre est in feudo franco, quod veram habet feudi  
*afforib*

D

essen-

essentiam. Fidelitas autem si absit,  
nunquam r̄es pro feudo haberi poterit,  
quamvis ut juramentum fidelitatis semper  
præstetur, necesse non sit. vid. 2. *feud.* 3. 2.  
*f. 24. §. 1.* In quonam autem consistat  
fidelitas, explicatur late in *tit. 7. lib. 2. feud.*  
& summa eo tendit, ut vasallus se obliget,  
quod quavis ratione commodum domini  
directi procurare, omni autem modo da-  
mna & incomoda ab ipso avertere ve-  
lit. De cætero non serio egisse credimus  
*Joannem Bodinum*, dum *l. 1. de Rep. c. 9.*  
vocabulum feudi derivat à literis initia-  
libus juramenti fidelitatis, de quo modō  
allegatus textus 2. *F. 7.* agit, Fidelis Ero  
Domino Vero Meo: quemadmodum ipse  
quoque in sequentibus ab hac Etymologia  
recedit. De qua differere nunc non vacat.  
Illud potius ad priora adjicimus, quod non  
tantum vasallus, sed etiam dominus direc-  
tus vicissim vasallo ad fidelitatem tenea-  
tur, est enim reciproca inter eos obliga-  
tio, hinc etiam in jure feudali dominus  
directus

¶ ( 15 ) ¶

directus & vasallus conjuges appellantur  
2. *feud.* 58. atque dominus etiam directus  
feloniam committere potest, & ex quibus  
causis vasallus amittit dominium utile,  
ex iis dominus perdit dominium dire-  
ctum, 2. *feud.* 26. *S. domino.* Præmissa  
ergo definitione feudi, applicabimus ad  
institutum nostrum verba *tit.* 33. *in lib. 2.*  
*feud.* quæ ita habent: Sciendum est itaque  
feudum acquiri investitura, successione,  
vel eo quod habetur pro investitura.

Notandum proinde, Feuda Solis, si-  
ve *Sommen*, *Lehen* acquiri de novo &  
possideri posse à quovis qui bona allo-  
dialia possidere potest, revera enim Feu-  
da Solaria nihil aliud sunt, quam bona  
quæ pleno jure ad nos pertinent, ut à  
nullo alio dependentia agnoscamus.  
Observant *Hertius in Dissert. de Feud. ob-*  
*latis S. 47.* & *Eybenius in Dissertat. de*  
*Feud. Solari*, quod *Schoppius* referat de  
domo Werbergenfi, (qualia exempla in  
aliis quoque locis occurrunt) moris in ea  
fuisse,

fuisse, ut nobilis domus senior cataphractus, & versus ortum solis equo vectus, nudato gladio radios solis decussatim vibraret, & devotioque quadam addita, elemosynisque in usum pauperum tributis, res suas à Deo recognosceret, & à conversione illa ad Solis ortum seu potius receptione sole teste celebrata, Feuda Solis appellata esse. Annotat idem *Eybenius* Comitatum Oldenburgensem olim feudum Solis vocatum fuisse: qui etiam non male monet, si Comes vel Princeps Imperij, talia bona quæ Feuda Solis *Gottuen Lehren* vocantur, possideat, in dubio asserti posse, ipsi quoque in ejusmodi bonis superioritatem territorialem competere, quemadmodum alias Principes alij qui terras suas à Deo & Sole tenent, vel qui neminem nisi Deum & ensem recognoscunt, maiestatem habere dicuntur. De cætero merito *Hertius* improbat sententiam *Knichenij* (quem *Eybenius* allegat) dicentis, rectius Feuda Solaria appellari feuda

feuda immortalia, id est, quæ in manum mortuam conferuntur, ut in Ecclesiam, Cœnobium, civitatem & communitatem, perpetuam enim dici concessionem, quod reversio nunquam speranda sit; bona itaque hæc, Feuda Solaria propterea vocitari, quoniam *instar Solis perdu-*  
*rent.*

Quod autem attinet feuda vera, quæ Feudis istis Solaribus & abusive ita dictis contradistinguuntur, certum est, quod regulariter omnes illi feudorum novorum capaces sint, qui alias sibi aliquid adquirere possunt.

Ita statim circa sexum nulla est differentia: etiamsi enim foemina ordinarie in feudis non succedere possit, quia, uti stylus Juris Feudalis habet, feudum servire non valet, 2. F. 36. & dominus regulariter præsumitur tantum personas ad servitia militaria idoneas admittere velle, tamen certe eo ipso dum sciens feudum foeminae de novo confert, credendus est

substitutum admisisse, cum enim servitii  
in dubio non præsumatur renunciale,  
hæc autem per fœminam præstari neque-  
ant, alia certe intentio domini esse non  
potest, quam ut mulier ea per alium ex-  
hiberi curet. Sic Hermaphroditus quoque,  
licet sexus fœmininus in eo prævaleat, ido-  
neus est ad' feudum novum sibi compa-  
randum. Idem porro jus quod circa fœ-  
minas locum habet, in aliis quoque per-  
sonis v. g. mutis, surdis, coecis, furiosis,  
mente captis, & hisce quidem posterioribus  
per curatores acquirentibus, aliquo, obti-  
nere dubium est nullum. De eo apud *Cra-*  
*gium de Jur. Feud. lib. I. tit. 14. l. 8.* pro-  
ponitur quæstio, an claudus sit capax feu-  
di cursoris & mutus feudi patroni, &  
coecus an feudi tabellionis vel scribæ?  
nihil enim, uti verba *Cragij* habent, magis  
videtur ridiculum, quam claudio feudum  
cursoris (quod nihil aliud est quam mer-  
ces uti currat) concedere, id est ei, qui  
plane ad currendum inceptus est, aut mu-  
to ut

to ut causam peroret. *Cragius* judicium suum non addit, sed ait tantum esse, qui statuant, tales personas capaces esse feudi paterni, non autem novi. Verum non capimus rationem ob quam tales personæ à feudo novo debeat excludi, utpote cum & hic id agere videatur dominus, ut ex fructibus feudi vasalli sibi Vicarios quærant, qui ejusmodi muneribus atque labo- tibus fungi queant.

Qui Clericos à possessione feudi novi (de successione in antiquum infra videbi- mus) arcent, in eo præcipue se fundant, quod non possit esse miles seculi qui debet esse miles Christi. 2.F.21. Evidem quamvis non deceat Clericum, negotia secularia & arma in priuatis tractare, tamen & hic substitutus locum habere poterit. conf. 2. F. 40. Quod praxin Germaniæ in specie attinet, absurdus omnino ille foret, qui prætenderet, personas Ecclesiasticas non esse feu- dorum capaces, cum tot potentes Episco- pos atque Abbates in illa videamus, qui terras

terras suas ab Imperatore & Imperio sub qualitate feudi recognoscunt. De Equitibus Melitensibus vel Teutonicis etiam si religiosis ordinibus sint addicti eo minus dubitandum est, quin novorum feudorum capaces sint, quoniam etiam in antiquis succedere possunt; utpote cum tantum absit, ut hi milites seculi esse nequeant, ut potius hic sit præcipuus talium Ordinum scopus, ut qui iis addicti sunt, cum infidelibus pugnent. Quod Clericos & fœminas attinet, iis alias videtur obstatre Jus Alemannicum ac Saxonum, illud quidem *Cap. 1. 2. & 3.* Hoc vero *Art. 3.* Verum ostendit *Dn. Schilterus in Comment. ad Jur. Alem. Cap. 3.* personas istas non simpliciter ab acquisitione feudi novi per dictos textus excludi.

Impuberis feudum accipere posse etiam sine tutorum autoritate forte primo intuitu alicui videri posset, utpote cum inter principia juris notissimum illud sit, pupillos non quidem deteriorem, sed tam

20103

men meliorem conditionem suam facere posse sine tutoris autoritate *vid. tit. In-*  
*stit. de autor. tutor.* Quis autem dubita-  
ret pupillum per acquisitionem feudi for-  
tem suam meliorem reddere? cum nimi-  
rum feudum sit beneficium, ut adeo si id  
quod in quæstione est negaretur idem fo-  
ret ac si quis pupillo adimere vellet po-  
testatem donum accipiendo, quod tamen  
nemo facile dixerit. Verum enim vero,  
ne quid nunc de eo dicamus, quod non  
omne feudum sit beneficium, sive, quod  
idem est, gratis à domino conferatur, ut  
pote cum dentur etiam feuda emta &  
quidem pro vero rerum pretio, quæ sane  
non multum de natura beneficiorum in-  
se continent, illud in primis obstat, quod in  
feudo vasallus sit obligatus non tantum  
ad fidem, sed etiam ad servitia, jam au-  
tem notum est quod solum vinculum ob-  
ligationis censeatur in jure deteriorem  
reddere pupillorum conditionem, etiamsi  
alias utilitatem ex negotio gesto capiant.

E

Sane

Sane sunt qui statuunt in tali casu servitia à domino præsumi plane remissa: imo dantur quoque qui fidem remissam censem, ut adeo plane aliud negotium, quam contractum feudalem, celebratum esse credendum foret. Nos arbitramur, im- puberem domino non teneri ad servitia præstanta per se, sive, uti vulgo loquuntur, in persona, sed præstitorum tamen eadem per substitutum &c ad fidem quoque, quantum per ætatem capax est, de Jure Feudali obligari, per *J. si minori 2. f. 26.* quicquid sit de principiis Juris Romani.

Non tantum autem nobiles personæ sed etiam plebejæ conditionis, imo rustici feuda acquirere possunt. Evidem in contrarium à pluribus hic allegari solent tam Jus Longobardicum, quam Jus Ale mannicum atque Saxonicum. Primum enim in *2. Feud. 10.* ita loquitur: *Ceteri vero qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter à capitaneis seu valvassoribus acquisierint, plebeji nihil-*

bilominis sunt. Nam illi qui soldatam  
habuerunt vel acceperunt vel habent, per  
eam nullum pedagium, sed nec feudi usum  
acquirunt. Ita etiam textus in 2. feud. 26.  
dicit, beneficium à Vasallo si nihil in frau-  
dem legis fiat, recte dari posse, dum tamen  
militi detur: conf. 2. F. 34. sed intuenti  
hosce textus facile appareat, quod illi lo-  
quantur de subfeudis, atque hunc sensum  
habeant: non licere Vasallo feudum in  
præjudicium domini directi homini dete-  
rioris conditionis in subfeudum dare, id  
quod sententiæ nostræ non obstat. Gra-  
vius opinioni nostræ contradicit Jus Feud.  
Alemannicum Art. i. & Jus Feud. Saxon.  
Art. 2. Bauren und Kauffleuthe sollen  
Lehn Rechts darben / rustici & mercato-  
res carere debent iure feudalii, sed observa-  
vit Schilterus intelligenda ea esse de feudis  
Nobilitati destinatis, non de iis quæ non  
nobilia sunt, sed feuda burgensia Bürger,  
oder Bauren Lehen. Imo in Germania  
id quoque invaluisse, ut feuda nobilia et-

iam plebejis concederentur , & antiquior & recentior praxis docet. Ubi tamen omnino id monendum, bona talia vel feuda nobilia à plebejo possesla nobilitatem quidem non tribuere, commoda tamen atque emolumenta quæ ipsi rei cohærent , ad quæ pertinet immunitas ab oneribus , ad quemvis possessorem etiam plebejum transferri. Nobilitas enim personæ unice , non autem rei cohæret , jura autem rei inhærentia nisi specialiter quoque certa qualitas in personis acquirentibus requiratur , non possunt non ad alios transfire. Bene etiam hinc docet Iterus de Feudis Imperij. Cap. 3. si sola immunitate ab oneribus feuda Nobilia definiuntur , ipsos quoque Status Imperij , qui tamen jus nobilitandarum personarum non habent , utpote cum hoc sit reservatum Imperatoris , feuda talia concedere posse, elegantemque observationem addit ex Consiliis Tubingensibus , quod , cum Nobilis quidam arcem & pagum ab Ecclesia-

clericastico quodam Imperij Principe feudi  
lege recognosceret, quod feudum in an-  
tiquis investituris appellabatur **ein Frey-**  
**Schild, Lehen / item ein Frey-Lehen / at-**  
que obscurum esset quid eo nomine desi-  
gnaretur, Jcti Tübingeres responderint,  
voce **Schild, Lehen / nihil aliud intelligi**  
quam feudum Nobile sive scutiferi uti  
vocatur, 2.F.74.

Quod rusticos in specie attinet, solet  
alias etiam contra eos allegari Jus Roma-  
num in l. 3. C. qui militare possunt, &  
tot. tit. C. ne Rusticani. utpote in quibus  
legibus Rustici militare prohibentur. Sed  
evidem ad hoc reponi potest, primo,  
non omnia feuda consistere in præstatio-  
ne servitorum militarium, ita enim loco  
corundem saepius par Caponum vel gal-  
linarum vel anserum dari solet. Et ostendit  
Eybenius in *Elect. Jur. Feudal. cap. 2. §.*  
*1. & cap. 8. §. 9.* non tantum officia li-  
beralia vel nobilia, sed etiam fabriles &  
illiberales operas, v. g. Lardarij vel facto-

ris ignis feudis datis fuisse redemptas. Imo constat feuda nonnunquam sub conditio-  
ne servitorum ridiculorum vel etiam ab-  
surdorum fuisse concessa. vid. *Speidelius*  
voc. *Lehen-dienst*. Secundo, quis non vi-  
det? uti habent verba ejusdem *Eybenij in*  
*I. 10. c. 8. jucundam fore cantilenam ru-*  
*sticis, si ipsis hodie nec functio nec nomen*  
*militum competeteret.* Sane aliter praxis  
omnium Regnorum docet, &c, si de jure  
quaestio est, dubium quidem nullum est,  
quin Summi Imperantes vi jurium Maje-  
staticorum legitimam potestatem habe-  
ant, uti alias subditos, ita rusticos quoque  
ad militiam vocandi.

De coetero non inamoenum erit al-  
legare discrimen rusticorum, quod pro-  
fert *Felix Malleolus* Decretorum Doctor,  
& *Canonicus Tigurenensis in Dial. de No-*  
*bil. c. 32.* hic enim septem gradibus eos  
distinguit, quorum haec sunt nomina, risu-  
potius quam attentione digna, *Rusticus,*  
*Rustoicus, Rustinardus, Rustibaldus, Ru-*  
*stibol-*

stibodus, Rusticus & Rusticellus. Non  
credimus operæ pretium fecisse *Eybenum*,  
qui dum autorem hunc *in Elect. Jur.*  
*Fend. cap. 8.* allegat, interpretari ista verba  
aliquatenus nititur, quamvis alias bene se  
habeat ratione Germaniæ alia *Eybenij* di-  
stinctio, quæ omnibus qui *Jus Publicum*  
tractant non ignota esse solet: nimirum  
quod alij rustici sint mediati, alij imme-  
diati, qui posteriores neminem superio-  
rem præter Imperatorem & Imperium  
agnoſcunt, de quibus etiam tractatur in  
Instrumento Pacis Westphalicæ art. 5. &  
quales imprimis etiam in Franconia  
dantur.

De infamibus etiam disputant an  
illi sint feudorum capaces: sunt plures qui  
arbitrantur, quod ab omnibus feudis et  
iam nullam dignitatem annexam haben-  
tibus sint excludendi, quoniam infames  
de Jure Communi Romano, nec milites,  
nec judices esse possunt, & imprimis etiam  
allegari hic solet *tit. 37. in lib. 2. fend. in*  
*quo*

quo ille qui convassallum prodidit, feloniam committere dicitur: *quia in curia domini amplius stare non potest.* Nos istorum sententiæ accedimus, qui eos non plane ab acquisitione feudorum repellunt. Quod enim illam rationem dubitandi attinet, *infames milites esse non posse*, ad id regeri illud potest quod supra jam occasione rusticorum dictum, feuda ob alia quoque officia quam militaria concedi solere. Textus Juris Feudalis qui modo fuit adductus, præterquam quod non de acquisitione feudi, sed de amissione agit, restrinxit infamiam ad certum casum, ergo non debet latissime ad omnes infames extendi. Excludentur ergo infames tantum ab iis feudis in quibus officia præstari debent, quæ omnino illasam famam requirunt. Illud sane patet, cum alias vasalli tanquam pares Curiæ judices sint in causis feudalibus, infamem tamen hoc officio fungi non posse.

Judæis quoque Schraderus aliquæ  
jus

ius acquirendi feuda concedunt, sed arbitramur hanc quoque assertionem ita limitandam esse, ut à judicando arceantur, præcipue si Christianos convafallos habeant. Cum enim Judæus testis esse nequeat in causa Christiani etiam si huic cum alio Christiano lis sit, ob legem 21. *C. de Hæreticis*: cuius hæc sunt verba: *sancimus contra orthodoxos quidem litigantes nemini heretico vel his etiam qui Judaicam superstitionem colunt, esse in testimonia communionem, sive utraque pars orthodoxa sit, sive altera, sequetur inde, Judæos quoque in Christianorum causis judices esse non posse, cum regulariter ille judicis officio fungi non queat, qui à testimonio ferendo repellitur.* Imo l. 19. *C. de Judæis* clare dicit, quod *iis omnes administrationes & dignitates interdictæ sint, atque illi nullam habere potestatem debeat adversus Christianos judicandi vel pronunciandi.*

Illud porro de cætero in Jurisprudentia

F

denta

dentia feudali expeditum est , quod non tantum personæ simplices, sed etiam compositæ , id est , Civitates, Communitates & Collegia, feuda acquirere possint : & solent talia Corpora investitaram per pr Yasallum, Germanice *Lehenträger*/ quem etiam Feudistæ portitorem feudi appellant, accipere. Nec objici ratione talium Communitatum potest , quod nunquam moriantur , adeoque inanis sit spes consolidationis cum dominio directo , sibi enim imputet, qui ejusmodi Universitati feudum concedit: ne quid de eo dicamus, quod dentur quoque casus quibus etiam Civitas interire potest : deinde accidere quoque solet, ut Communitates feloniam committant, adeoque saltem hac ratione feudum ad dominum redire potest.

Quod major à minore feudum accipere possit , eo validius asseverari potest, quo certius est, unum hominem plures injure posse sustinere personas. (videatur elegans dissertatio *Hertij* de hac materia,) adeo ut &

ut & ipsi Imperatori à Principe Imperij  
feudum dari posse non malè afferant Dd.  
principiè cum feudum neminem regula-  
riter faciat subditum, & verus quoque  
Rex ille esse possit qui regnum suum in  
feudum tenet, uti docet *Hugo Grotius* in  
praclarissimo de *Jure Belli & Pacis Ope-*  
*re l. 1. C. 3. I. 23.* Exempla feudorum  
quæ inferiores Superioribus contulerunt  
vel conferunt, plura habemus. Sic Archi-  
officiales Imperij, seu Electores seculares  
ab Episcopo Bambergensi feuda quædam  
(non ipsos Electoratus nec Archi-officia)  
accipiunt, quorum ratione officia similia iis  
quæ Imperatori exhibent eidem Episcopo  
præstant. Sic adhuc hodie Rex Daniæ  
a Ducibus Brunsuicensibus de Territo-  
rio Butjadingensi investitur. Formulam  
Investituræ *Examini Jur. Feud.* subje-  
cit *Dn. Stryckius*. Et nihil magis in Ger-  
mania notum est quam Principes ab Ab-  
bate vel Prælato feuda accipere. Id de  
cætero malè nonnulli Jurisconsultorum

F 2 defen-

defendere conantur, quod in talibus casibus, quando nimirum inferiores Superioribus feuda conferunt, obligatio ad fidem remittatur: sane enim, ut de rationibus juris pauca dicamus, cum obligatio ad fidem etiam in persona superioris subsistere possit, & quodlibet feudum ordinariam suam naturam habere presumatur, imo cum fides ad essentialia feudi pertineat, illi qui de feudo contrahunt, non possunt in dubio censeri solo nomine feudi uti velle, & diversum tamen plane à feudo negotium celebrare. Quod praxin attinet, illa satis ostendit fidelitatem non excludi: Ita in formula investiturae de terris Budjadingensibus, quam antea citavimus, hæc occurunt verba: In aller Massen dann Ihr. Königl. Majest. und Lhd. und Dero Mitbelehnte nach Innhalt ob angezogenen Vertrags dieselbe nummehr zu Leben zu empfangen und zu tragen schul gig seyn/ derselben Güter sollen und wollen Wir Thro Königl. Majestät Lhd. und Dero mitbelehnten rechter bekenniger Herr

Herr und Gewehr seyn / vor aller Rechten  
 Ansprachen / so oft wir darzu erforderet  
 werden / und Wir zu Rechte zu thun schul-  
 dig / dahingegen Dieselbe / und Ihre Leibs  
 Lehns- Erben Uns und Unserm gesamten  
 Fürstlichen Hause wegen dieser obangereg-  
 ter Lehn-stücke Vermög der Lehn-Rechte /  
 und desz darüber in An. 1653. auffgerich-  
 teten Vertrags / treu und hold seyn / unser  
 bestes befördern / und arges abhelffen / auch  
 so oft diese Lehne zu falle kommen / solche  
 gebührlich muthen und empfangen lassen.  
 Latine haec ita habent: *Quemadmodum  
 Regia sua Majestas & Dilectio , illique  
 qui cum Eadem simultanee fuerunt inve-  
 stiti, secundum tenorem pacti super hac re-  
 initi terras istas in feudum nunc acci-  
 pere tenantur, ita nos verus earundem do-  
 minus erimus, & evictionem de feudis istis  
 praefabimus quotiescumque erimus requi-  
 siti. Promittent autem Regia sua Majes-  
 tas & Dilectio , Ejusdemque successores  
 feudales, quod nobis totique nostra Ducali  
 Domui ratione dictorum feudorum vi-*

gore jurium feudalium & conventionis  
de super facta anno 1653. fideles esse, no-  
strum commodum promovere, & damnum  
avertere, renovationemque investiture, ubi  
res exegerit, petere velint. Addit ibidem  
*Stryckius*, ipsam fidelitatis formulam coin-  
cidere cum verbis finalibus Literarum  
Investituræ. Illud jam observavit ali-  
quoties nobis memoratus *Eybenius in E-*  
*lect. Jur. Publ. c. XI.* in ejusmodi casibus  
aliis verbis quam quæ vulgo adhiberi for-  
lent, nempe accipientis dignitatem ac  
fortunam eminentiorem non dedecen-  
tibus, vel per substitutum, & forte utplu-  
rimum absque juramento fidelitatem pro-  
mitti solere. Ita refert *Stryckius*, quod  
legatus Danicus non praestiterit corporale  
juramentum, sed vi pauci Hamburgensis  
tantum stipulata manu fidelitatem pro-  
miserit. Nec indigna est quæ hic ex  
*Eybenio* afferatur formula promissionis  
qua anno 1623. Legatus Saxonius usus est,  
cum nomine Electoris ab Episcopo Bam-  
ber-

bergensi investituram acciperet: Er zweiff-  
le nicht / Thro Churfürstl. Durchl würden  
um des Herrn Bischoffs Fürstl. Gn. es  
mit Freundschaft erkennen / und dem gan-  
hen Capitel und Stift / gnädigen Willen  
verzeigen geneigt seyn. i. e. se non dubita-  
re quin Serenissimus Dn. Princeps Elector  
hoc nomine documenta amicitia exhibitu-  
rus sit Reverendissimo Dn. Episcopo, &  
quin Serenitas sua Electoralis prona sem-  
per sit futura ad testandam gratiam suam  
toci Capitulo.

## P A R S II.

*De Personis, qua in feudis succedere  
possunt.*

S Uccessio de Jure Romano duplex est,  
alia ex testamento, alia ab intestato;  
Ea enim quæ ex pacto oritur, plerum-  
que improbatur ab eodem Jure. Si ad ma-  
teriam feudorum hanc doctrinam appli-  
care volumus, dicendum est, primam spe-  
ciem, nempe Successionis Testamentariae  
regula-

regulariter non admitti de Jure Feudali  
comuni, ita enim in *Tit. 8. lib. 1. Feud.* ex-  
presse statuitur, *nullam ordinationem de-*  
*functi in feudo valere debere.* Quod secun-  
dam speciem successionis concernit, ea or-  
dinariè in feudis obtinet, ita tamen, ut ho-  
die in primis non excludatur successio con-  
ventionalis, quam alias Romani in rebus  
allodialibus rejecerunt, ex ratione parum  
solida, si res de J. Nat. consideretur, quod  
talia pacta occasionem suppeditent *ca-*  
*ptandæ mortis alienæ,* cum tamen hoc non  
fiat ex vitio pacti sed hominum, nam ali-  
as, (uti merito Romanos hoc nomine ta-  
xat *Schilterus, Exerc. ad π. 8. th. 47.*) fi-  
deicommissa quoque, quæ quis post mor-  
tem suam tenebatur restituere, non debu-  
issent à Romanis tolerari. Quid enim? si  
quis hæredem instituat fiduciarium in  
magna, quam possidet, copia bonorum,  
addita hac conditione, ut post mortem  
suam hæreditatem Sempronio reddat, an-  
non Sempronio hic datur occasio, ut capter  
mortem

mortem hæredis fiduciarij? Atqui tamen de Jure Romano tale fideicommissum licitum est. Sed equidem talia plura in Jure Romano occurunt, quæ si ad rationis trutinam & ipsius Juris Romani doctrinam variis in legibus dispersam expendantur & conferantur, magnopere vacillent, & sibi non constent; cæterum successiones illæ pæctitiae de feudis, sive confraternitates uti vocantur, Germanicè Erb-, verbrüderungen / in primis inter illustres Imperij Rom. Germanici familias usitatæ sunt, de quarum specialibus requiritis institutum nostrum nunc non patitur ut prolixius tractemus. Sed potissimum occupati erimus circa successionem ubi nec testamentum nec pæctum intervenit.

Notissimum proinde cuilibet est, succedere in feudo regulariter tantum eos, qui ex sanguine primi acquirentis descendunt, non ascendentes ejus atq; collaterales, vid. 2.F.50. Requiritur autem, ut liberi

G

sint

sint legitimè nati, illegitimi enim non succedunt, quamvis sint legitimati, sive per subsequens matrimonium, sive per rescriptum Principis propter paragraphum *naturales 2. feud. 26.* Evidem fuit, qui a criter defendunt, legitimatos per subsequens matrimonium in feudis succedere posse, non obstante hoc textu, quemadmodum videre licet apud famigeratissimum *Jctum Casparum Bitschium*, in nobilissimo ad *Jus Feudale Commentario*. Nobis tamen placet cum iis facere, qui simpliciter legitimatos excludunt ob generalitatem textus; Illud de cetero negare nolumus, in praxi Germanica eos qui legitimati sunt per subsequens Matrimonium in feudis etiam Regalibus succedere: vid. *Iterus de Fend. Imp. Cap. 14. S. 2.* Quod Liberos impuberes, qui succedunt, attinet, non credimus alienum fore ab instituto nostro, si notemus insignem differentiam, quæ inter *Jus Longobardicum* & *hodiernum Germanicum* circa eos intercedit:

tercedit. Nimirum non tenentur illi juramentum fidelitatis præstare, de Jure Longobardico, donec ad pubertatem pervenerint, hodie autem, si Elector vel Princeps Imperij aut alius Immediatus Vafallus moriatur, & relinquat liberos impuberis vel minores, nunquam illi juramentum præstant, sed Tutor vel Curator ipsorum nomine, ita, ut hoc in perpetuum sufficiat: Allegabimus verba Capitulationis Caroli VI. art. XI. Wann ein Chur-Fürst / „  
 Fürst / oder sonst unmittelbahrer „  
 Stand und Lehenmann des Reichs / „  
 mit Todt abgehet / und minderjährig „  
 ge Lehens-Erben / sive puberes, sive „  
 impuberis, hinter sich verlässt / so soll „  
 der Vormünder oder die Vormün „  
 dere nach angetretener würflicher „  
 Administration der Tutel oder Cura „  
 tel, ihr der minderjährigen von dem „  
 Reich habende Regalien und Lehen „  
 innerhalb Jahr und Tag würflich zu „  
 then / und bey darauf erfolgender Be- „  
 leh“

„ lehnung das gewöhnliche Juramen-  
„ tum Fidelitatis ablegen / und die Ge-  
„ bühr entrichten / an welche der Vor-  
„ munder Empfahrung und Eydliche  
„ Versprechung die minderjährige selb-  
„ sten nach erlangter pubertät / und re-  
„ spective Majorenität dergestalt ge-  
„ bunden seyn sollen/ als wann sie min-  
„ derjährige berührte Regalien und Leo-  
„ hen/ nach übernommener Regierung  
„ selbsten empfangen/ und den Lehens-  
„ Eyd erstattet hätten ; Dagegen sol-  
„ len und wollen Wir Sie minderjäh-  
„ rige nach erlangter ihrer pubertät o/  
„ der Majorenität zu anderwärtiger  
„ Empfängniß solcher Lehen und Rega-  
„ lien, wie auch Lehens-Eyd/ nicht/ viel  
„ weniger zu einer doppelten oder weि-  
„ tern Entrichtung des Lehn-Taxes an/  
„ halten/ sondern Sie bey obgedachter  
„ ersten denen Vormündern ertheil/  
„ ten Belehnung allerdings lassen. Wel-  
„ che Meynung es dann auch haben  
„ solle

solle mit denjenigen Lehen/ welche die „  
Reichs, Vicarii in Kraft der guldinen „,  
Bull verleihen können. i.e. Quod si E-  
lector, Princeps aut alias immediatus Im-  
perij vasallus, decedat, & successores feu-  
dales minorennnes, sive puberes, sive impu-  
beres relinquat, tunc tutores aut curato-  
res post suscepitam administrationem tu-  
telæ vel curæ, petere debebunt intra an-  
num & diem renovationem investituræ  
de feudis & regalibus quæ pupilli vel mi-  
nores ab Imperio tenent, iideinque quo-  
que tutores præstabunt Juramentum Fi-  
delitatis & solvent taxam consuetam: per  
hanc à tutoribus & curatoribus renova-  
tam investituram & ab iisdem factam ju-  
rata promissionem, minores post ade-  
ptam pubertatem vel majorenitatem per-  
inde obligati erunt, ac si ipsi dictorum re-  
galium & feudorum investituram sub au-  
spicium suscepit regiminis accepissent ju-  
ramentumque præstisset; propterea et-  
iam non debemus nec volumus dictos mi-

G 3

nores

nores, postquam puberes vel mayores facti fuerint, obligare ad aliam renovacionem investituræ petendam vel aliud juramentum præstandum, aut taxam ulteriorem solvendam, sed contenti erimus prima investitura tutoribus & curatoribus eorundem concessa. Idem observabitur in feidis quæ à Vicariis Imperij vigore Aureæ Bullæ conferri possunt.

Elegans Quæstio est de Gemellis, de quibus non constat ob incuriam & negligentiam obstetricis, uter ex illis prius ex utero materno exierit; Controvertitur nimirum, quis eorum in feudo, in quo jus primogenituræ introductum est, succedere beat? Varias Doctorum sententias recenset *Iterus de Feud. Imp. c. 12.* Ita enim sunt qui robustiori successionem adjudicant, alij utrumque ad feudum admittunt, nos verissimam eorum sententiam arbitramur, qui hanc rem sorti decidendam relinquunt.

3370II Liberos Morganicos, sive ex Matrimonio

monio ad Morganaticam natos, succedere in feudis non posse docet textus 2. F. 29.  
(cui non obstat *I. filij 2. feud. 26.*) utpote cum Matrimonium ad Morganaticam sit Coniunctio Viri illustris cum foemina inferioris conditionis in individuam quidem vitae consuetudinem ea tamen lege contracta, ut liberi non succedant in feudo, atque uxor & liberi non sint participes dignitatis quam maritus ac pater habet,

Adoptivos liberos non admitti ad successionem feudorum patet itidem *ex 2. F. 26. I. adoptivus.* & ratio rei cuilibet statim in oculos incurrit, quoniam nempe non sunt ex sanguine primi acquirentis.

Fœminas à successione feudorum arceri, ostendunt textus *in 2. feud. II. E 2. f. 36.* item in *Jur. Alem. Cap. I. E Saxon. Cap. II.* Causa impedimenti à nobis jam fuit allata, scil. quoniam non sunt idoneæ ad militiam. Jam autem in dubio dominus censetur tantum personas ad arma tractanda aptas admittere velle, nisi in con-

contrarium manifestet voluntatem suam,  
 quemadmodum , ut supra annotatum ,  
 illud tunc fit, quando de novo incapacibus  
 personis feuda concedit. Quod si vero  
 feudum sit foeminum , id est , de quo  
 foemina vel primum est investita, vel quod  
 masculus quidem primò acquisivit , cum  
 pacto tamen ut foeminæ succedant , ibi  
 dubium nullum est, quin foeminæ, quam-  
 vis deficientibus demum masculis, jus suc-  
 cedendi habeant. Qua occasione id no-  
 tari meretur , si feudum in literis Inve-  
 stituræ Germanicis appelletur , **Mann**  
**Lehen**/ propterea non semper foeminas à  
 successione excludi, utpote, cum vocabu-  
 lum **Mann** sæpius non tam denotet se-  
 xum quam vasallum , quemadmodum  
 etiam **das Lehen vermannen**/ idem est ac  
 servitia Vasallitica præstare, vid. *Eyben. in*  
*Elect. Jur. Feudal. Hertius de feud. Oblat.*  
 Quod si feudum alicui conferatur more  
 Fuldisco, auff **Fuldische Art und Weise**/  
 tunc foemini quoque successio competit  
 propter

Propter naturam feudorum Fuldicorum,  
 de quibus elegans extat *Dissertatio Con-*  
*summatissimi JCti Henrici Cocceji de Feu-*  
*dis Fuldensibus.* An autem foeminæ in  
 omnibus feudis Ecclesiasticis regulariter  
 succedant, juxta Proverbium Germani-  
 cum: *Krumstab schleußt niemand auß:*  
 item an ad successionem feudi Franci ad-  
 mittendæ? nobis nunc disquirere non li-  
 cet, ne nimis excrescat *Dissertatio.* Id uni-  
 cum adjicimus, plura exempla Principatu-  
 um atque Comitatuum Feudalium occur-  
 rere in Imp. Rom. German. quorum Fœ-  
 minæ capaces sunt, quemadmodum exem-  
 plis Familia&Palatinæ aliarumque id proba-  
 tum dedit *Iterus de Feud. Imp. C. 14.* Ipse  
 quoque, uti cuilibet notum est, Archi-  
 Ducatus Austriæ feudum fœminum  
 est, & neminem fugit, Austriacam Do-  
 mum per matrimoniorum præcipuè fe-  
 licitatem ad maximam qua pollet poten-  
 tiā pervenisse. Et quidni Principatibus  
 & Comitatibus præesse possint fœminæ?

H

cum

cum sceptrorum quoque sint capaces, uti  
ex exemplis Sueciæ, Angliæ, Hispaniæ-  
que constat.

Quod Hermaphroditos attinet, cum  
in Jure Feudali Longobardico nihil ex-  
presse circa eos decisum sit, textus illius  
ipsius Juris 2. F. i. jubet nos recurrere ad Leges  
Romanas, quæ in l. 10. ff. de stat. hom. rem  
clare ita definiunt, ut, si sexus masculinus  
prævaleat, debeat haberi pro masculo, si  
fœmininus, pro fœmina: hinc appetit, in  
feudo quidem proprio sive masculino, Her-  
maphroditum in quo sexus fœmininus  
præpollet, non succedere: in feudo autem  
fœminino capacem esse successionis feu-  
dalnis, diversa tamen ratione, quicunque  
demum sexus in ipso præponderet.

Clericos novi quidem feudi capaces  
esse, dictum fuit, quod autem in anti-  
quo succedere nequeant, probatur ex 2.  
Feud. 36. atque secundum dictum tex-  
tum removentur à successione feudi, ob  
eandem, ob quam fœminæ, rationem.

Cæ-

Cæterum innuimus jam supra hoc ad Equites Religiosorum Ordinum applicari non posse. Quod Principes Imperij Ecclesiasticos attinet, eorum sententiæ adstipulamur, qui statuunt eos in talibus feudis, quæ ipfis competit, non qua sunt Episcopi, sed quæ ex hæreditate paterna proveniunt, succedere posse. Quoad Electoratus seculares hoc specialiter in *Aur. Bull.* C. 7. §. 2. constitutum est, ut, si primogenitus sit Clericus, repellatur à successione.

Disquirendum nunc erit de imperfeti, an illi successionalis feudalis sint capaces. Per imperfectos autem non tantum intelliguntur muti, surdi, coeci & claudi, sed imprimis etiam illi quoque qui animo imperfecti sunt, ut furiosi & mente capti. Quicquid enim sanctitur ratione imperfectionis quoad corpus, illud certe ob qualitatem rationis debet quoq; applicari ad eos, qui mente capti sunt. Occurrunt autem circa hanc rem duo in Jure Feudali Longobardico Textus. Primus in I.

H 2.

F. 6.

F. 6. §. 2. ita habet: *Mutus feudum retinere non potest, scilicet, qui nullo modo loquitur, sed si feudum fuerit magnum, quo ei ablato se exhibere non valeat: tantum ei relinquiri debet, unde se sustinere possit.*  
*Ethiis omnibus Casibus, feudum amittitur, & ad dominum revertitur.* Agunt antea Compilatores de pluribus feudi amittendis modis (revera enim titulus sextus continuat materiam quinti) & ponunt quoque casum quod foemina non admittatur simul cum masculo ad successionem feudi uti infra etiam dicemus. Alter textus extat z.  
F. 36. & sic loquitur: *Mutus & surdus, cœcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiam si natus fuerit, totum feudum paternum retinebit. Obertus & Gerardus & multi alij. Quidam tamen dicunt eum, qui talis natus est, feendum retinere non posse, quia ipsum servire non valet. Sic dicimus in Clerico, & in foemina & in similibus.* Mire circa sensum horum textuum corundemque conciliationem con-

tendunt Jcti. Scripsit peculiarem libel-  
lum de hac materia Vir omnis juris cal-  
lentissimus Dn. Job. *Henricus Bergerus*,  
Professor quondam in Universitate Wit-  
tebergensi celeberrimus, ante aliquot au-  
tem annos à Sacra Cæsarea Majestate in  
numerum Confiliariorum Judicij Aulici re-  
ceptus. Titulus hic est: *Disquisitio utrum*  
*& quousque surdi ac muti feudorum sint*  
*capaces.* Nobis simplicissima horum lo-  
corum sententia hæc esse videtur: surdos  
& mutos, &c, per consequens, furiosos &  
amentes, nimirum tales qui laborant vitio  
quod perpetuo duraturum est, (non de  
quibus spes est, eos Medicorum ope sa-  
nari posse,) si tempore delatae successionis  
tali morbo affligantur, succedere non pos-  
se, ut adeo hinc argumentari liceat, eos,  
qui tempore delatae successionis non sunt  
imperfecti, adeoque capaces successionis,  
quamvis postea ejusmodi vitium ipsis su-  
perveniat, feudo semel acquisito non esse  
privandos. Et quidem in eo convenient.

H 3

Jcti.

ICti quod in feudo paterno , (sive tali  
quod quis non de novo acquisivit,) suffi-  
ciat, semel, sive tempore apertæ successio-  
nis fuisse idoneum. Struvius in Synta-  
gmate für. Feudal. Cap. 9. §. 10. hæc ha-  
bet: Si quis, postquam feudum acquisivit,  
fiat imperfectus, licet sit inhabilis ad suc-  
cedendum in feudo, non tamen ex illa cau-  
sa post acquisitum feudum casu superven-  
iente id amittit. Alia est ratio in Cleri-  
co, qui clericatum suscipiendo seipsum red-  
dit inhabilem , quo minus feudum quod  
acquisivit queat retinere. Rhetius in  
Commentar. ad 1. F. 6. sic loquitur : Si  
quis, postquam successit, mutus fieret, feu-  
do non excideret sed retineret, cum nemo  
citra culpat eo privatetur arg. tot. tit. feu-  
dum sine culpa amitti non posse. Nec  
potuit de Jure Feudali censeri aliter, cum  
quoad successionis qualitatem tempus de-  
lationis spectetur, arg. 2. F. 17. arg. 2. F. 51.  
§. similiter. Conferantur Dn. Hornius in  
Juriſprudentia Feudali Cap. 15. n. 12. alij  
que

que innumeri. Ante allegatus per illu-  
stris Bergerus in citato scripto §. 7. quo-  
ties, inquit, ex accidenti aliquo quis mu-  
tus factus est, toties feudum paternum  
quidem retinere potest totum 2. F. 36. pr.  
Equis enim hoc, quod is, qui tempore suc-  
cessionis habilis quidem fuit ad servitia  
præfanda, & postea ex accidenti inhabilis  
factus est, si maxime in prelio debilitatus  
sit, vel ob diuturnos militiae labores aliquo  
vicio laborare cœperit, feudo privari de-  
beat, non diceret crudelissimum atque ini-  
quissimum? 2. feud. 24. §. 2. præsertim cum  
per substitutum servire cogatur, arg. 2. F.  
55. §. similiter. Quoad feudum novum  
dissentient nonnulli: ita ipse Bergerus in  
loco modo allegato statuit, quod mutus  
feudum novum retinere non possit, addit-  
que hanc rationem, quamobrem mutus  
ex accidenti aliquo durius habeatur in  
feudo novo, quam paterno, nimirum: ar-  
cessendam illam esse ex respectu personali,  
quem is qui feudum novum constituit, er-  
ga Va-

ga Vasallum habere intelligitur. Obligationem enim, qua primitus investitus domino obstringitur ad ejus persona conditionem ad strictiorem esse, quam ut aque descendentes, quos non novit dominus, complectatur. Itaque semel à vasallo primo ad descendentes masculos feudo rite translato, rationis esse, eos semel ad successionem admissos, deinceps non facile eo privari debere. Feudum habuisse originem in persona patris, & deinde etiam fuisse confirmatum in persona successoris, duo autem vincula regulariter fortiora esse uno, aliam enim rationem esse in feudo novo, ubi feudum possidens nullo antecessorum jure settueri possit. Textum itaque 1. Feud. 6. hi qui cum Bergero faciunt, (à quibus tamen plurimi dissentiant) explicant de feudo novo, utpote cum ibi feudi simpli citer mentio fiat, in 2. Feud. 36. autem specialiter feudum paternum nominetur. Verum enim vero nos cum aliis statuimus utrumque textum de feudo paterno loqui,

qui, atque feudum tam novum, quam pa-  
 ternum semel acquisitum ob superveni-  
 ens vitium tam corporis quam animi ne-  
 mini debere auferri. Et sane, uti jam o-  
 lim observavit *Rhetius*, tota vis explicatio-  
 nis consistit in explanatione vocabuli *re-  
 tine*re. Nimirum nil aliud in utroque tex-  
 tu hoc significat, quam succedere. Quod  
 in 2. *Fend.* 36. sic accipiatur, plurimi con-  
 sentiunt, sed quidni commode etiam in  
 1. *Fend.* 6. explicari possit pro successio-  
 ne? Quamvis enim hoc videatur obstare,  
 quod agatur in dicto paragrapho de mo-  
 do feudum amittendi, adeoque suppona-  
 tur, feudum fuisse acquisitum, attamen,  
 quod per modos amittendi in dicto titulo  
 illi etiam casus intelligantur, in quibus  
 quis ad feudum aliquod, quod nunquam  
 habuit, <sup>non</sup>admittitur, patet ex paragrapho  
 qui immediate præcedit textum nostrum,  
 utpote qui ita habet: *quin etiam si quis*  
*eo tenore feudum acceperit, ut ejus descen-*  
*dentes masculi & fœmina illud habere*  
 possint,

*possint, relicto masculo ulterius fæmina non admittuntur.* Quis non videt de successione sermonem esse? quidni ergo modus amittendi feudi in seq. paragrapho etiam de iis qui succedere nequeunt, possit exponi. Non moramur hic eos qui verba ista, *ulterius fæmina non admittuntur*, ita intelligunt, ut foeminas in casu, de quo textus agit, pro perpetuo exclusis habeant, adeoque illa ad veram amisionem feudi trahunt.

Quod attinet *Bergeri* rationem differentiæ, quam in feudo novo proponit, concedamus ipsi, respectum plane personalem in eo occurtere, sed annon applicari hic illud idem poterit, quod *Bergerus* supra de feudo antiquo dixerat: *Nonne injustissimum foret tali homini feendum eripere velle?* Jam autem crudelitas & injustitia in dubio de nulla lege est præsumenda, quæ utique, si Vasallo feendum novum auferret, eo durior foret, quo sacerdotes accidere solet, ut ob præcedentia Vasalli

falli merita feudum novum ipsi conferatur. Merentur in hanc rem allegari verba quæ extant in 2. F. 24. in quibus non distinguitur inter feudum novum & paternum: sunt autem illa: *Non est alia iu-*  
*stior causa feudi auferendi, quam si id,*  
*Propter quod beneficium datum fuerit, hoc*  
*servitium facere recusaverit, quia benefi-*  
*cium amittit.* *Aliud est, si forte ideo non*  
*servierit, quia non potuerit, tunc enim*  
*feudum non amittit.* Addatur textus 1. F.  
 21. *sancimus ut nemo miles sine cognita*  
*culpa sua feudum amittat.*

De cætero id quoque observandum  
 est ratione textus in 2. F. 36. quod cum in  
 eo duæ contrariæ sententiæ reperiantur,  
 plures JCTorum sint, qui statuant primam  
 valere debere, atque eum qui mutus vel  
 surdus est tempore successionis, nihilo-  
 minus succedere posse: fundant se in re-  
 gula, quæ alias communiter allegari solet,  
 quod, ubi duæ contrariæ opiniones in eo-  
 dem textu Juris Feudalis occurrunt, prior

fit amplectenda, rejecta posteriori. Deinde ajunt, cum prior sententia sit *Oberti* & *Gerardi*, non esse probabile, quod per posteriora verba, in quibus referunt tantum nonnullorum sententiam, seipso voruerint refutare. Sed hæc tamen nos non impediunt, quo minus dicamus, ultimam sententiam hic decisionis vim habere. Regula enim supra memorata saepius fallit, & in primis locum habere non potest, quando in posteriori opinione ratio reconsentetur quæ alias Juri Feudali congruit. Priorem tamen sententiam in Gallia & Scotia observari docet *Bergerus* in libello hactenus citato §. XI. ut & *Cragius de Jur. Feud. lib. 2. c. 18.* addatur *Schilterus in Comment. ad Jus Feud. Alemannicum eiusque Cap. 63. §. 4.* Quod alteram rationem dubitandi attinet, sciendum est *Obertum* & *Gerardum* se ipso non refutasse, utpote cum Compilatio Juris Feudalis non tantum facta sit à solis duobus istis Viris, sed ab aliis quoque.

Sunt

Sunt insuper multi, qui licet non admittant eos, qui muti vel surdi nati sunt, ad successionem feudi paterni, iis tamen, qui, ex accidenti, tali vitio fuere correpti, jus succedendi tribuunt. Videantur *Gothofredus Antoni in Jure Feudali Disput. 6. §. 10.* ex editione *Stryckiana*, & notæ additæ ad lit. F.

Allegabimus nunc etiam quoad hanc materiam Jus Saxonicum & Alemannicum, id quod etiam factum in Libello Bergiano. Jus Saxonicum ita habet Lib. I. des Land-Rechts Art. 4. Wird ein Kind gebohren / stumm / Simm oder Witklos / oder blind / oder sonst unvollkommen an seinem Leibe / das ist wohl Erbe zum Land-Recht / aber nicht zu Lehen-Recht / hätte aber ein Mann Lehen empfangen / ehe er so gebrechlich worden wäre / das verleiert er damit nicht. Der aussäkige Mann der empfängt gleicherweise auch kein Lehen noch kein Erbe / hat er aber das empfangen vor der Seu-

I 3 che/

che/und wird darnach siech / er behält  
es/ und vererbet es auch/ als ein ander  
Mann/ id est : si accidat, ut puer mutus  
aut amens, vel mente captus, aut coecus,  
aut alias corpore imperfectus nascatur, he-  
res quidem est Jure Civili, sed non Jure  
Feudali. Quod si vero quis feudum na-  
etus foret, antequam tale vitium ipsi con-  
tingeret, illud propter superveniens im-  
pedimentum non amittit. Ratione leprosi  
eadem observantur.

Quod hunc textum attinet, apparet,  
eum ita intelligendum, ut quoad hocce  
Jus, feudum neque paternum, neque no-  
vum, ob superveniens vitium alicui au-  
ferri debeat, cum verba generatim sint  
concepta, & valide confirmantur per Cap.  
30. *Jur. Feud. Saxon.* Fatetur hic ipse  
*Bergerus*, sententiam ejus longe æquio-  
rem esse ratione feudi novi, quam *Juris*  
*Longobardici*, cum nimis rigidum fo-  
ret, si dominus, qui semel alicui feudum  
concessit, adversæ fortunæ casum, quem  
præ-

præstare nemo potest, ipsi imputare ac  
præterea feudum auferre vellet. Debe-  
bat ergo clare probare rigorem Juris Lon-  
gobardici autor modo nominatus.

Jus Alemannicum c. 63. ita loquitur :  
*Ein Herr mag dem Mann sein Lehen nüt  
genommen noch verzihen / ob er blind  
ist / oder seiner Glieder mangelt / oder  
miselstüchtig wirt / oder was Siechta-  
gen gewinnet / i. e. Dominus Vasallum  
feudo privare nequit , si coecus sit , aut  
lepra aliove quodam morbo corripiatur.  
 Videmus ergo Jus Alemannicum & Saxo-  
 nicum in eo concordare cum Jure Lon-  
 gobardico , quod feudum semel acquisi-  
 tum ob supervenientem defectum adimi-  
 non possit: cæterum Jus Alemannicum in  
 eo à reliquis dispare , quod etiam is qui  
 mutus vel aliter imperfectus natus est , suc-  
 cedere possit , Schilterus in Comment. ad  
 dictum Cap. 63. tradidit. Unicam Coro-  
 nidis loco addimus quæstionem , an pro-  
 digus possit succedere in feudo ? utpote  
 cum*

cum hic quoque imperfectis, &c, in specie,  
furioso comparari soleat; quia, ut leges  
Romanæ loquuntur: *furiousum quoad  
bona exitum facere solet.* Brevisime  
autem eam decidimus affirmando, utpote  
cum prodigus in acquirendo non sit pro-  
digus, & idoneus præterea sit ad Fi-  
dem & servitia Domino  
præstanta.

## F I N I S.

P. 5. lin. 16. post vocabulum *Norimbergæ*, adde ista, in *Gesta*.  
Quod si forte literula quædam fuerit à Typographo mutata,  
quemadmodum verbi gratia p. 8. lin. pen. pro *propositus*, legen-  
dum est *proprias*, facile Benevolus Lector Iple rem corriget.

---

*SI Generosorum series antiqua Parentum  
Si proprius veræ Nobilitatis amor,  
Si varij studij præclara scientia Reges  
Impulit, ut quondam plurima feuda darent;  
Tu triplici monstras feudi Te jure capacem,  
Cum mens contineat ter geminum usna decus.  
Cum plurium feudorum voto Generosissime  
DN. Defendenti apposuit opponens*

**GEORGIUS AUGUSTUS**  
L. B. MARSCHALCK.



Strasburg, Diss., 1716-18

ULB Halle  
005 360 048

3





I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO JVRIDICA <sup>16</sup>  
DE  
**PERSONIS**  
**FEVDI CA.** <sup>1719, 1<sup>a</sup></sup>  
**PACIBVS,**

von

**Lebens - fähigen Personen /**

*QVAM*

ADIVVANTE DIVINO NVMINE

(10)

*P R A E S I D E*

**JOHANNE HENRICO**  
**BOECLERO,**

Vtriusque Juris Doctore,

& Juris Publici Professore,

*SOLENNITER* defendet

*Dicitur. Etiam.* ANNO M DCC XIX.

**ANTONIVS SIGFRID**  
**DE BERNHOLD,** Eques Alsatus.

---

*ARGENTORATI,*  
*LITERIS JOHANNIS PASTORII.*